

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 184

Counradus Dei gratia Romanorum rex Ruperto Stabulensi decano et ceteris fratribus,
ministerialibus quoque ac toti familiae ejusdem ecclesiae gratiam suam et omne bonum.

Sicut divina ordinavit providentia, juxta fidelium nostrorum consilium, ad petitionem
Corbeiensis ecclesiae fidelem nostrum Wibaldum abbatem vestrum, retenta vestra
provisione et cura, quam prius habuerat, monasterio Corbeiensi praefecimus. Et quia ex
hoc, ut speramus et volumus, maxima ecclesiae utilitas provenire potest, universitatem
vestram per praesentia scripta attente monendo rogamus, quatenus absentiam ejus, regno
quidem necessariam et nobis non inutilem, patienter supportetis et in ecclesiae vestrae
oportunitatibus, si qua graviora emerserint, piae sollicitudinis operam studiose impendatis.
Quod si in aliquibus nostrum adjutorium vobis fuerit necessarium, sicut hactenus semper
vobis fuimus propitiis, ita nunc maxime nos semper clementes habebitis.